

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XVI. Idem Episcopo (a) Patavien, & Abbati de Borun. Bardebergen.  
Patavien. diœc.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

divortii causam esse, quod falso esse probabimus  
infra in cap. 3. de conjug. lepros.

(f) Quamvis falsa sit causa. ] Cap. magna, de vo-  
to, ubi dicemus.

3. (g) In domo propria permanere. ] Nec tunc ob-  
stat textus in cap. final. qui clerici, vel vov. ubi pro-  
ponitur, multerem post desponsationem cuiusdam  
Religiosi Sancti Augustini votum castitatis emis-  
se, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum  
omni patrimonio remaneret; & cum per bien-  
nium vitam monasticam servaslet, postea matri-  
monium contraxit eo praetextu, quod votum casti-

tatis metu Regis & parentum emisisset. Consul-  
tus Innocentius III. decrevit, eam mulierem co-  
gendam esse vitam religiosam peragere: Igitur  
quia per professionem in propria domo factam status  
religiosus amplectitur, & matrimonium contra-  
ctum dirimitur. Nam respondendum est, quod in  
eo textu mulier, qua professionem fecit, ad-  
huc matrimonium non contraxerat, & ita re-  
cte potuit votum castitatis emittere: at vero in  
presenti textu matrimonium erat contractum, &  
ita sine consensu sponsi non poterat per votum ca-  
stitatis disolvit.

## C A P U T X V.

Idem Ruthensi (a) Episcopo.

**C**onstitutus in praesentia nostra Hug. Vital. lator præsentium, humili nobis confes-  
sione monstravit, quod cum esset in (b) acolytatus ordine constitutus, quan-  
dam puellam R. nomine in facie Ecclesiae duxit in uxorem. Cumque aliquandiu  
cohabitassent insimul, & ipse eam carnaliter cognovisset, orta discordia inter eum,  
& amicos puellæ, coram tehabito diligenti tractatu, prædicta puella fuit cuidam alii  
Vitali nomine copulata: & tu memoratum H. usque ad gradum fæcerdotii ordinasti, &  
eidem Ecclesiam concessisti. Cum autem eum sua conscientia remorderet, & de con-  
silio quorundam religiosorum habitum (c) Cisterciens. Ordinis assumpsisset, tandem  
Abbatis suo omnia revelavit; qui cum commonuit diligenter, ut super hoc salutis suæ  
animæ provideret. Ideoque f. t. per A. s. m. quat. fides ita se habet, prædictam R.  
ut recedat à præfato Vitali, cui per adulterium est conjuncta, nec prædictum mona-  
chum impetrat, quominus regulare votum valeat adimplere, per cen. eccl. subl. app.  
obst. cogere non omittere.

## N O T A E.

1. (a) **R**uthensi. ] In tertia collectione, sub hoc  
tit. cap. 2. legitur Niclinen, in hac verò  
sexta legitur Rudenen; sed legendum esse Ruthen-  
ensi, jam notavit Manrique tom. 3. annal. Cisterc.  
anno 1210. cap. 8. num. 9. Rutheni enim sunt  
populi Galliae Narbonensis, non longè ab Ar-  
vernis, & Sanctoribus, quorum meminerunt  
Caesar libro 1. de bello Gallico, Strabo libro 4.  
Gregorius Turon. lib. 2. hist. cap. 36. & 37. Si-  
domius lib. 4. epist. 15. & lib. 7. epist. 6. Ruthe-

na civitas habet Ecclesiam Cathedram D. Ste-  
phano dicatam, cuius Praefuli Hugoni missa est  
præfens decretalis, de quo agunt Fratres Sarma-  
thani tom. 3. Gall. Chriſt. fol. 95a. Chenu in chron.  
Gall. fol. 354.

(b) **Acolytatus.** ] De quo gradu egit in cap. 2.  
de offic. Archidi.

(c) **Ordinis Cisterciensis.** ] In quo tamen mona-  
sterio non constat, quamvis esse videatur unum  
ex quartuor, quæ in diœcesi Ruthenensi Cister-  
ciuum habet, nimirum Bonavallis, Locus Dei, Bel-  
lus-locus, & Bonacumba.

## C A P U T X VI.

Idem Episcopo (a) Patavien. & Abbat. de Borun. Baderbergen.  
Patavien. diaec.

**V**eniens ad præsentiam nostram dil. f. L. lator præsentium, nobis humiliter in-  
timavit, quod cum olim intrandi monasterium propositum conceperet, plu-  
ribus fæcerdotibus, militibus, & aliis viris præsentibus apud uxorem suam precibus  
institut, ut super hoc suum impertiretur assensum, eisdem presbiteris primitus exoratis, ne  
præfata mulieri exponeretur, quod & ipsam oportaret derelinquere (b) seculum, si  
viro suo daret licentiam ad monasterium convolandi. Cumque ipsum mulier, ne ab  
ea discederet, vice mutuâ precatetur, ipse assenseret, quod nisi ab ea possent super  
hoc obtainere licentiam, non solùm ei se inutile redderet, sed etiam toti  
mundo: ipsa demum tam ipsius, quam multorum adstantium p̄cibus, fletibusque  
devicta, caput ejus altari supposuit (c) manu sua, qui ea præfente (d) tonsuratus ibidem,  
monasterium adiit, & finito probationis (e) tempore, professionem fecit solenniter mo-

Nnn 4 nachalem.

nachalem. Illa verò in seculo remanens, inhonestos amatores admisit; unde idem L. metuens ne suæ continentia illius incontinentia imputetur, an in monasterio perseverare debeat, à nobis consilium postulavit. Quocirca mandamus, quatenus est ita, prædictum L. in monasterio, quod intravit, absque inquietatione cuiusquam perseverare liberè permittatis. Licet enim in hoc videatur non modicum deliqueſte, quod (f) caute afferuit, quia nisi sibi eadem mulier consentiret, tam sibi, quam toti mundo se inutile redderet: & cùm presbyteros exoravit, ne prædicta mulieri exponerent, quod eandem relinquere seculum oporteret, si fortè licentiam daret viro; ex quotamen eadem mulier caput viri altari sponte supposuit, & postmodum, sicut afferitur, vixit incontinenter, super revocatione ipsius non esset aliquatenus audienda, cùm ipsius intentio, si eundem fortè repeteret, exceptione posset commissæ fornicationis elidi, maxime cùm antequam fuerit fornicata, ipsum non duxerit repetendum.

## NOTÆ.

1. (a) *Pataviensi.*] In tertia collectione, sub hoc titul. cap. 3. legitur *Pataviensi*: at verò in hac sexta legitur, *Pictaviensi*, nec ex textus serie cognosci potest, utra littera anterior sit, immo epigraphæ adeo corrupta est, ut nullo modo cognosci possit, de quo monasterio in præsenti agatur. De diocesi *Pictaviensi* egi in cap. super 20. de *reſcripto*.
2. (b) *Derelinquere seculum.*] Quia juvenis erat, & ita non solum votum castitatis emittere in seculo, verum & simul religionem ingredi tenebatur, ut probavi supra in cap. 1.
3. (c) *Manusua.*] Quasidonans, seu offerens religioni, juxta tradita in cap. 2. de *confuetu*.
- (d) *Torsuratus.*] In formam monachi, juxta ad ducta in cap. 1. de *regulâ*.
3. (e) *Probations tempore.*] Anno videlicet, juxta tradita in cap. ad *Apostol. de regulâ*.
- (f) *Cauté.*] An professo religionis emissa per captionem, seu dolum, valida sit expolii in cap. ad *nostram, in fine, de regulâ*.

## COMMENTARIUM.

4. *In his duabus Decretalibus exponitur casus ille, in quo unus ex conjugibus adulterium commisit; quo casu certum est, professionem in religione emitte posse ab innocentie, invito eo, qui per adulterium causam divortio dedit, & culpâ suâ jus repetendi conjugem ad mutuam cohabitationem amisit, ut in præsenti docetur, & probant Sanchez de *matrim.* lib. 10. *disput.* 11. num. 2. & alii supra laudati in cap. 3. hoc tñ. Atque ideo adulterio conjugi ignorantie, aut scientie, similiter professio fieri poterit, ex l. qui potest invitis 26. ff. de reg. jur. quare nec illius consensu desideratur, nec ut emitat castitatis votum, exiguntur. Sanchez ubi proximè & disput. 10. num. 5. Nec textus in cap. 1. cap. cum sis 4. hoc titulo, ubi consensus, & votum in remanente in seculo requiruntur, ad hunc casum pertinent, sed procedunt quando matrimonium manet integrum, nullâ culpâ conjugum maculatum, ob quam divortium fieri debeat. Sanchez dicto num. 15. Quod si dubites, qualiter de infidelitate, aut adulterio debeat constare, ut propter eam causam liceat innocentie religionem profiteri, dicendum quod ad validitatem professionis informiter fatis est, ut hæc criminis admisla sint, proper quæ separatio matrimonii fiat quoad thorum; sed in foro exteriori necesse est constare de criminis apostasiæ, aut lata sententia divortii, aut ea no-*

torietate, qua sufficiat, ut liceat propriâ auctoritate divertere, nec aliter professio iustè emititur, ut plenè explicat Sanchez dicto lib. 10. *disput.* 11. 12. & 21. Hæc autem, quæ diximus in hoc quarto casu, plenè procedunt in conjugi innocentie ad religiōnem transiente; sed in adulterio, aut infidei aliud servandum est, quia iij si repeti possunt in matrimonium, non habent jus alios repetendi, quia cum propter culpan eorum separatio fiat, prodest illis non debet, ut à matrimonio thoro liberentur, si innocens repetitionis jure uti maluit: ita Glossa verbo *Redire*, in cap. ex litteris, de *divortio*; & alii, quos refert, & sequitur Sanchez dicto lib. 10. *disputat.* 10. num. 3. aquitati enim repugnat, adulterium infidelem ex delicto suo commodum confessi, argumento legis itaque 12. ver. Sed satis, quod *furtis*. Quæ sententia sine dubio admittenda est, quando res integra est, & status nullius conjugis est immutatus: at si res non sit integra, multum interest, an innocens religionem profiteri, aut statum incompatibilem cum matrimonio suscipiat, veluti Ordines sacros; & in hoc casu adulterio liberè poterit religionem profiteri, etiam irrequisito conjugi: an verò ex parte innocens nulla statu mutatio interveniat, quo casu adulterio non licebit in prejudicium innocentis profiteri, nisi illo requiro, aut non contradicente, ut contra *Salicetum*, & alios defendit Sanchez dicta *disputat.* 10. à numero 12. Nec tunc obstat textus in cap. ex litteris 5. de *divortio*, ex quo colligitur, adulterio jus habere repetendi virum ad cohabitandum: ergo non licebit innocentia invita adulteria religionem ingredi. Nam respondendum est, ideo in eo textu uxori adulteria repetitionem concedi, quia vir simili adulterio matrimonium violavit; nam aliam duxit uxorem, & ita adulterio perpetravit: nam licet per adulterium fiat separatio, non tamen quodam vinculum conjugium dissolvitur, cap. 1. & 2. cap. *placuit* 5. cum sequent. 32. q. 7. cap. *gandernus*, in fine, de *divortio*. Trident. sess. 24. de *matrim.* can. 7. probavi latè in can. *Concil. Illiber.* Ubi autem uterque coniux adulterium commisit, à jure divortii petendi uterque repellitur, amissâ mutua delicti compensatione, cap. *penult.* 3. ult. de *adult.* Cum enim civilius mulier accusatur de adulterio, causa divortii, aut dotis lucrandæ, alterius adulterii mutua compensatione admittitur, l. vero 39. l. cum mulier 47. ff. *solut. matrim.* quod procedit etiamsi post divortium aliud adulterium lequitur, dicto cap. ex litteris. Quamvis si criminaliter agatur, compensatione locutus non sit, nec possit mulier alio cri-

inali

in finali iudicio experiri, l. 2. §. si publico, l. si uxori  
13. §. iudex, ff. ad legem Julianam, de adulterio  
unde cum in dicto cap. ex litteris, etiam

maritus adulterium perpetrasset, non poterat  
ullus conjugibus alio invito religionem in-  
gredi.

## C A P U T XXVII.

(a) Idem.

**A**ccedens ad præsentiam nostram I. mulier lachrymabiliter proposuit coram nobis, quod cum Vv. vir ejus (b) Elien. diceat. eam sibi in legitimo matrimonio copulasset, & per xx. ferè annorum spatium eidem cohabitans, prolem suscepisset ex ea, volens tandem idem vir habitum assumere monachalem, postulabat humiliter ab eadem, ut tam pio proposito faveret ipsius: quæ propter multa verbora, & aliarum molestiæ gravamina prædictus vir inferebat eidem, se ipsam afferens dimissurum, annuit votis ejus. Cumque idem vir ad domum de (c) Vendon. Cistren. Ordinis accedens, ibi religionis habitum assumpisset, mulier ipsa transferens se ad dominum monialium, nullo ibi religionis habitu assumpto, vel voto emissâ conversionis, permanxit ibidem, cui pro labore manuum suarum eadem moniales vita necessaria ministrabant. Processu verò temporis, cum idem vir ad seculum rediens, religionis habitum reliquisset, & eadem mulier se instanter ab eo petere reassumi, ipse illam recipere penitus contradicens, præter verba, quibus sepe affectus eandem, sibi convitia plurima, & graves injurias interrogavit. Quocirca dil. v. per Ap. f. præc. m. quarti. fires ita se habet, & dicta mulier illius ætatis existit, ut de lapsu carnali illius merito valeat dubitari, dictum virum ut eam recipiat, eique effectum exhibeat conjugalem, per cens. eccl. ap. rem. (d) cogatis.

## N O T A E.

1. (a) *I*dem. Ita etiam legitur in quarta collectio-  
ne, sub hoc tit. cap. unico; nullibi tamen ex-  
primitur cui rescribat Innocentius, nec inter ejus  
epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur  
textus hic.  
2. (b) *Elien.* ] Diceceis est in Anglia, de qua

egi in capite postulasti, de re scriptis.

(c) *Vendon.* ] An legendum sit *Vader*, sive *Ven-*  
*der*, aut *Berndt*, non audet assertere Manrique  
tom. 2. annal. Cisterc. anno 1148. cap. 16. num. 2.  
& anno 1150. cap. 11. num. 1.

(d) *Cogatis.* ] Quia consensus ab ea præstitus  
nullus fuit, cum ex gravi metu esset extortus, juxta  
tradita in cap. 1. de his que vi.

## C A P U T XVIII.

Honorius III. Episcopo, Decano, &amp; Thesaurario (a) Lingon.

**S**ignificavit nobis A. mulier, quod cum ipsa R. militi viro suo coram Decano sancti Quiriaci (b) Pruinensis, vice bona memoriae P. Archiepiscopi (c) Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit Religionem intrandi, continentia tamen voto eidem injuncto, & recepta fide ab ipsa, quod (d) perpetuo contineret, idem Decanus post factam professionem à milite antedicto in monasterio, in quo habitum assumperat monachalem, asseruit ipsam deberet religionem intrare, quamquam id primò non expressisset eidem, hoc expresso ipsa illi licentiam non dedit: ac eam ad hoc per venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Senonen. fecit plures commoneri, propter quod eadem de consensu dicti Archiepiscopi nostrum super hoc consilium imploravit. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, & talis ætatis, qua suspicio non possit haberri, ipsam votum continentia observantem intrare monasterium compelli non permittatis.

## N O T A E.

1. (a) *L*ingoniensi. ] Ita restituo inscriptionem, &  
litteram hujus textus ex quinta compilatione  
Honori III. cum male legatus in sexta collec-  
tione, *Innocent. III. De Lingoniensi Ecclesia*  
nonnulla notavi in cap. 8. de re scriptis.  
(b) *Pruinensis.* ] Legendum esse Pruinensis,

jam notavi Cironius in praesenti; quæ Ecclesia sancti Quiriaci est Collegialis in dieceesi Senonensi, sub Decanatu Pruinensi.

(c) *Senonensis.* ] Petri de Corbolio, de quo egī  
in cap. 1. de postul. Prelat.

(d) *Perpetuo contineret.* ] In domo propria, sicut  
olim plures virgines, & viduae castitatem pro-  
fitebantur, ut probat Cironius huc, & notavi